

Italia.



Talia olim Hesperia, ab Hespero Atlantis fratre dicta est. Siue (ut Macrobius inquit) ab Hespero stella, quod illius occasui subiecta sit. Est regio, metallis grauida, ubique uitalis, & perennis salubritas, eximia coeli temperies, campi fertilitas, aprici colles, innoxij saltus, opaca nemora, munifica syluarum genera, mira frugum, uitium, & olearum fertilitas, nobilia pecori uellera, opima tauris colla, perspicui & piscosi lacus, flumina fontesque saluberrimi, portus plurimi. Ipsa autem, ad mortales iuuandos, in maria procurrēs, & uelut gremium omnium gentium commercio pandens, ut ferē dicta sit à quibusdam, terrarum omnium alumna, atque eadem parens, coelestium prouidentia electa, quae sparsa congregaret imperia, molliretque effratarum gentium ritus, discordes ad colloquia linguas, munere literarum, latinoque sermone congregaret. Color Italicus, & statura penē diuersa est in cisalpina Gallia, Venetoque recessu, color uulgo candidus, cultus & sermo accuratior. Contra in Hetruriae tractu, Latia, Campania, & Brutijs, capillus niger, breuior statura, & macilentia, sermo & cultus simplex. Non iidem omnibus mores, aut uiuendi ritus, nec iura eadem. Pontificio hi, Cæsareo illi, alij municipali iure potissimum utuntur. Omnibus id commune ut frugaliter uiuant, nitide uestiantur, tonso capite incedant, perbreuibus Hispanicis palliis coniecti, crura ostentantes. Veneti, quorum urbs terra marisque opibus maxime pollet, laxiore uestiuntur toga, qualē Graeci, Turcae, Russiani, ac reliqui septentrionales usurpant. Maiorum suorum habitu ita delectantur, ut sepius eas uestes gestent nepotes quas tritaui gestarunt. Abundant consilio, in loquendo tardi, & pronuntiatio insuauis, ridicula quadam magnificentia, uerbis officiosi, re ipsa nihil profus. Fingunt condonare iniurias, sed si quando oc-

casione nanciscuntur, nulli crudelius ulciscuntur. Iuramentis & blasphemis in deum horrendis passim utuntur. Mediolanenses Gallis exosi, uicissim tam illos quam Hispanos odientes, neutris satis confidunt. Oratio eorum rudis, sermo concitatus: sed multo rudior & molestior Pedemontanorum. in bello non ualent nisi multi simul. Genuensium oratio ridicula neque literis consignari potest: elegans tamen eorum uestitus, ut neque sagati sint, neque togati. Consilio & fide sibi non admodum constant, ad rebellandum apti, inhospitales sunt, & beneficiorum immemores. Tuscorum lingua inter Italos commendatur, magni semper fuere sacrificuli, ut qui Romanos olim multas in deorum religione ceremonias edocuerunt, in uniuersum magis adhuc superstitiosa gens quam pugna. Superba Roma, gentium imperio uiduata, sedes facta summi pontificis. Assistent ei purpurati cardinales quadraginta sex. Zelotypi sunt Romani, & uindicant seuerissime uxorum adulteria. Pistorienses Italorum factiosissimi, sunt partim, ut uocant, Panchiati, Gibellinorum sectae, qui imperatoris partes defendunt: alij dicti Cancellieri, Gelphi, qui regis partes sequuntur. Neapolitani omnium consilia respuunt, syluestres, loquaces, adultores, iniuriarum strenui ultores, beneficiorum maxime memores. Fumosas in adamantis foeminis imagines quarunt, minio & cerusa laruatas, neque amant nisi sit elato animo, & ancillarum gregem secum ducat. Hispanicum sermonem affectant, ac eorum instar equis insidēt, hastiludia exercent, summa corporis dexteritate nunc in hanc, nunc in illam partem flectunt. Splendide uestiuntur, opobalsama spirant, plus saccari quam panis absument, caulibus etiam uescuntur libentissime. Irrident Neapolitani Calabros, Calabri Appulos, hos autem omnes Romani, Romanos Hetrusci, quos et alij uicissim irridēt: quin & mortales ceteros omnes irridēt Itali, con-